DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
PHTHISI PULMONALI

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
NEC NON
CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ATQUE CHIRURGIAE
LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
AC PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS
IN CELEBERRIMA
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joan. Stephanus a Patay
Medicus Castrensis.

In theses adnexas disputabitur in Academiae aedibus
die 10 Mensis Augusti Anni MDCCCXXXII.

VINDOBONAE.
Typis Antonii de Haykul.

MDCCCXXXII.

Cava lumina, pallor in ore;
Labra incana situ, scabrae rubigine fauces:
Dura cutis, per quam spectari viscera possint:
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus. Pendere putares
Pectus, et a spinae tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque rigabat
Orbis, et immodica prodibant tubera talo.

Ovidius.
(Metamorph. L. VIII. v. 805.)

Notio. Doctrinae momentum. Divisio.

§. 1.

Nomen *phthiseos pulmonalis* (φθίσις α φθίνειν) impertitur morbis variis, chronicis, propriis symptomatibus stipatis, qui morbi, nisi mature sanari possint, ocyus serius in eo conveniunt, quod sub febre hectica, tussi cum sputis purulentis et dyspnoea, pulmones plus minusve destruunt, vitaeque finem misere imponunt.

§. 2.

Si perpendamus, phthisin pulmonalem, aevo nostro per universam Europam, praesertim in magnis urbibus, ita invaluisse, ut in genere funerum quinta pars phthisi adscribenda sit, hancque partem utplurimum filios omnium carissimos, conjuges omnium dilectissimos, verbo florem juventutis includere, morbum hunc inexorabilem Metropoli nostrae endemiam fere esse, et inter medicorum opprobria recenseri; si haec omnia, inquam, perpendamus, doctrinae, de quo agitur, momentum sponte elucebit.

§. 3.

Phthisis pulmonalis legitima, phthisis pulmonalis ulcerosa, phthisis κατ' ἐξοχὴν, ab

insigni pulmonalis substantiae laesione, per suppurationem, et exulcerationem inducta ortum ducit; ubi vero aliae solummodo degenerationes, tubercula, indurationes glandularum, tabescentiae subsunt, *tuberculosa* vocatur. Sub muci copiosi in bronchiis secretione, ac sub materiae puriformis screatu, in longum protractis, quin ulcus pulmonem devastet, *phthisis pulmonalis pituitosa* sequitur.

§. 4.

Quoniam vero differentia harum specierum ex origine pendet, prae omnibus *aetiologia* exponenda venit.

Aetiologia phthiseos.

A. tuberculosae.

I. Dispositio ad phthisin tuberculosam.

§. 5.

Ad phthisin tuberculosam disponunt, quaecunque normalem statum systematis lymphatici perturbare valent. Ejusmodi dispositio saepe connata plurimum analogiae habet cum dispositione scrofulosa, atque cum temperamento sangvineo, aut sangvineo-melancholico. Talem dispositionem annuntiant:

a.) *Habitus sic dictus phthisicus*, nempe corpus procerum, cuti alba, tenera, molli, musculis flaccidis instructum; extremitates, praecipue superiores, praelongae, interdum lividae, digitorum ultimae phalanges nodosae, crines sub axillis et ad partes genitales pauci, thorax complanatus, angustus, non hirsutus, mammae parum evolutae, interdum huc et illuc induratae, prominentes, a costis, alarum instar, distantes; collum

longum et tenue, guttur prominens, vox acuta, flebilis, rauca; facies amoena, formosa, genae elevatae, roseo colore circumscriptae, labia rubra, barba pauca, dentes candidi, pellucidi, lividi, saepe sine ordine dispositi, oculi vivaces, conjunctiva coloris margarithacei, pupilla ampla, intuitus gratus, ingenium et veneris desiderium praecocia.

b.) *Morbi varii scrofulosi perpessi*, e. g. tinea capitis, ophthalmiae, otorrhoea, glandulae submaxillares tumentes, exulceratae, aliique abscessus cicatrices specificas relinquentes, spina ventosa, physconia, tabes meseraica,

c.) *Congestiones ad caput*, inprimis crebrae hemicraniae, epistaxes, fluxus dentium et gingivarum, oris siccitas, coryza, sternutatio.

d.) *Adfectiones nervosae vagae*, praecipue oscitationes, suspiria, inquietudo, anxietas, animi inconsveta irritabilitas, et in iram proclivitas.

e.) *Difficultates respirationis*, et *circulationis*, maxime pectoris oppressio, ardor, dyspnoea, spiritus anhelans, tussicula sicca brevis, dolores transitorii pectoris, palpitatio cordis, menstrua irregularia.

II. Causae excitantes phthisin tuberculosam.

§. 6.

Inter causas phthisin tuberculosam excitantes primo loco ipsa scrofula hic est collocanda; etenim in scrofulosis frequentia sunt pulmonum tubercula, quae vel et in foetibus parentum scrofulosorum adesse possunt. Phthisis scrofulosa inter omnes phthiscos tuberculosae varietates frequentissima est, in Anglia endemica adeo, ut *Sydenhamus*, phthisin esse scrofulam pulmonum, edixerit.

2.) *diathesis scirrhosa* aut *scirrhus* in foeminis.

3.) *quaelibet inflammatio pulmonum non rite resoluta*, unde nascuntur stases, et successu temporis indurationes, suppurationes.

4.) *infarctus passivi pulmonum*, praecipue cum aliquo erethismo.

5.) *Metastases variae*, huc spectant:

a.) *Arthritis anomala*, nempe insultus arthritici aut non rite evoluti, aut ad articulos suppressi et quodammodo metastatice ad pulmones delati — *phthisis arthritica*, serius communiter et provecta magis aetate evolvenda, calculosos etiam vexans.

b.) *Lues venerea* pulmonibus infensa — *phthisis venerea*, antisyphiliticis remediis cessura, cum nihil aliud sit, nisi lues larvata.

c.) *Impetigo* qualiscunque *chronica retropressa:* tinea capitis, scabies, herpes.

d.) *Lacteae metastases.* Quemadmodum enim lac ad crus potest deponi, deponi etiam potest ad pulmones. Referuntur exempla phthisicarum lactatione sanatarum.

e.) *Suppressi* copiosi *sudores, ulcera intempestive tractata, fonticuli praemature consolidati, haemorrhoides, menses suppressi.*

Aetiologia phthiseos.

B. pituitosae.

I. Dispositio ad phthisin pituitosam.

§. 7.

Ad phthisin pituitosam disponit generatim debilitas totius corporis juncta cum laxitate pul-

monum congenita, haereditaria, acquisita, quae quidem a multis, sed non rite satis pro causa morbi hujus proxima habetur. Nimirum detecta per sectiones pathologicas post phthisin pituitosam flacciditas pulmonum conspicua, saepe effectum morbi, non causam, saepius vero momentum quidem praedisponens constituere, non tamen sola, nisi stimulus localis accedat, qui secretionem morbosam hic loci tum augeat, tum quodammodo pervertat, sufficere videtur.

Neque vero id praetervidendum est, quod phthisin tum pituitosam, tum tuberculosam status pulmonum inflammatorius, saepe occultus, semper antecedit, nec raro praesentem phthisin comitatur.

II. Causae occasionales phthiseos pituitōsae.

§. 8.

Inter causas phthiseos pituitosae occasionales collocantur: clima humidum frigidumque, temperaturae mutationes frequentes, constitutio epidemica catarrhis producendis favens; domicilia humida, frigida, impura; cibi fatui, insipidi, farinacei, potus relaxantes; vita sedentaria, animi pathemata. Quae causae omnes catarrhis, imo peripneumoniis inducendis favent, quibus pulmones magis semper debilitantur, ut dein stimuli quicunque eo facilius in organon hoc modo praedispositum convertantur. Ejusmodi vero stimulum suppeditant: inflammationes specificae, v. g. syphilitica, scrofulosa; tubercula scrofulosa, alia; acre arthriticum; febres intermittentes, cum infarctibus junctae, aut praecociter, v. c. arsenico sanatae; metastases ad pulmones aliunde conversae; ulcus antiquum, impetigo praepostere sanata, fluor albus, haemorrhoides, blenno-

rrhoea, sudor pedum, axillarum etc. incaute suppressa.

Aetiologia phthiseos.

C. ulcerosae.

I Dispositio ad phthisin pulmonalem ulcerosam.

§. 9.

Nullibi dispositio morbosa adeo eminens est, quam ad ipsam phthisin ulcerosam, quae ideo etiam frequentissime occurrit, et peculiari habitu distincta, *phthisis constitutionalis* dicitur. Haec autem nihil aliud, nisi ex dispositione universali, quae a primo vitae exordio jam quasi in germine existit, ad summum gradum evecta dispositio phthisica est. Produnt eandem in pueris corpus tenerum, extremitates tenues, cutis glabra, alba, capilli flavescentes, facies florida cum rubore communiter inaequali, vox flexilis, sed simul alta, dentitio irregularis tum prima tum altera, inquietudo continua, somnus inde parcus, et interruptus, incrementum citum, sed in longum, ingenium felix, circa septimum aetatis annum frequentes narium haemorrhagiae, instinctus sexualis praecox evolutio, temperamentum sangvineum, propensio in vitae delicias, capilli rariores, loquela expedita, prompta, facile raucescens, dyspnoea a cursu celeriori. In juvenibus ac viris phthisicam architecturam ante oculos ponunt signa illa, quae in aetiologia phthiseos tuberculosae iam retulimus. Quod periculum eo majus sit, quo plura ex momentis allatis concurrunt, per se patet.

§. 10.

Haec jam dispositio non modo congenita, sed vere haereditaria esse observatur, et sunt certe familiae, quas phthisis pulmonalis vix non integras, sub flore juventutis constitutas pessumdet, ac misere extingvat. Et ratio in promtu est. Etenim quum illa a parentibus accepta ad morbos proclivitas potissimum in prava partium solidarum conformatione consistat, in aprico est, cur ii, quorum pulmones natura debiles existunt et flaccidi, prae caeteris in varios pectoris morbos, maximeque phthisin sint propensi. Id autem peculiare est, quod singulis generationibus parcat dispositio haereditaria, requiescat in filiis et iterum in nepotibus reviviscat, et quod inter infantes communiter praedilecti a parentibus natu minimi illius haeredes esse observentur.

II. Causae occasionales phthiseos ulcerosae.

§. 11.

Causae phthiseos ulcerosae variae dantur, sed nisi in subjectum impingant jam praedispositum, alias potius morborum formas inducunt. Secundum artis medicae celebratissimum veteranum *Hufeland* $\frac{3}{4}$ partes inter phthises ulcerosas haereditariae sunt, et tantum $\frac{1}{4}$ pars ex causis occasionalibus inducitur. Frequentissimae sunt:

1.) *Contagium phthisicum*, quale si non ad phthisin inducendam, tamen si dispositio jam adsit, ad promovendam cum *Riverio*, *Fr. Hoffmanno*, *Valsalva*, *Swietenio*, *Frankio*, existimamus idoneum. Quidam vero recentiores, inter quos *Castellani* Mantuanus, qui primus contra contagium phthisicum scripsit, *Portal*, *Cullen*, *Stoll*, contagiosam phthiseos indolem negant, quod alia ulcera simplicia contagiosa non sint.

Ast multa fiunt, quorum nos ratio latet, atque in his rebus cautio superflua saltem non nocebit.

2.) *Haemoptysis* qua frequens phthiseos causa a medicis accusata fuit. Sangvinem enim ex pulmonum vasculis ruptis, quae ipsa quoque inflammantur, intra vesiculas aëreas extravasatum, stasi concepta corrumpi, ac demum irritamentum pro inflammatione exhibere, celeberrimi in arte medica viri docent. Atque gravissimus *Fr. Hoffmannus* asseverat dimidiam fere partem phthisicorum, qui se curae suae tradiderunt, ab haemoptysi praegressa et male curata mali sui originem accepisse. „Sunt interim non pauci, ut *P. Frank* docet, qui sangvinem e pulmonibus persaepe, ac certas ad periodos, interdum sine alia pulmonum labe, sat diu, vel et longam per vitam, immunes eructent; ac certe timor hoc a profluvio limites haud raro excedit. Si vero per omnem puerilis aetatis periodum frequentius per nares, — sequentis vero aetatis per annos jam saepe per pulmones cruor profluxerit; ne facile mutari habitudo haec possit, et ne labem hujus visceris inducat, justus est timor. Verebimur et illud, quod febris, pectoris angustia, majorque molestia indicabant, comitantur profluvium, inprimis copiosum, sed magis hoc verebimur, si febris, tussis, dolor, dispnoea, cessante jam cruoris effluxu, per plures adhuc dies pertinaciter subsistant.“

§. 12.

Aliae adhuc phthiseos ulcerosae causae esse possunt omnes violentiae organis spirantibus illatae, vulnera, contusio, percussio, fractura sterni, costarum, nixus fortior, vociferatio vehemens et longa, clamor altior, inprimis sub ira exardescente, dein catarrhi; (hinc optime Cele-

berrimus *Bischoffius* docet plura funera catarrho neglecto, quam pesti adscribenda esse) peripneumoniae, tubercula, vomicae pulmonum; denique suppurationes ab aliis organis metastatice, aut per contiguitatem ad pulmones delatae.

Diagnosis phthiseos.

A. tuberculosae.

§. 13.

Symptomata, ex quibus ad tuberculorum praesentiam concludere licet, sunt potissimum sequentia: tussis sicca, brevis, vix animadversa vel ab ipsis aegrotantibus, motu fortiori, inspiratione profundiore et post pastum exasperanda, noctu etiam praecipue vexans; sensilitas magna erga vicissitudines temperaturae ac frequens catarrhus, decubitus in latus alterutrum difficilis; dolores punctorii, aut pressivi, praecipue sub sterno, ad plagam exiguam restricti, constanter redeuntes, pleuritidis occultae nomen adepti; languor, emaciatio, febricula continua sed mitis.

§. 14.

Communissime tubercula in suppurationem abeunt, eo quidem citius, quo pleuritidis occultae symptomata magis eminent. Sputa tunc ejiciuntur puriformia, flava, ichorosa, foetentia, striis sangvineis remixta; macies, febrisque manifestiores evadunt. Merentur hic adduci *Hippocratis* verba, quibus phthiseos tuberculosae signa eleganter tradit in hunc modnm: Πλευμονὶς δὲ γίνεται ἀπὸ τῶν δὲ μάλιστα. Ὁκόταν ὁ πλεύμων, αἷμα ἑλκύσας, ἐφ' ἑαυτὸν ἢ φλέγμα ἁλμυρὸν, μὴ ἀπῇ πάλιν, ἀλλ' αὐτοῦ ξυστραφῇ καὶ ξυμπαγῇ· ἀπὸ τουτέων φύματα φιλεῖ γίνεσθαι ἐν τῷ πλεύμονι καὶ ἐμπυοῦσθαι.

Οὗτος τὰ δὲ πάσχει. Κατ' ἀρχὰς καὶ διὰ παντός του νουσήματος βὴξ ὀξείη ξηρὴ ἴσχει, καὶ ῥίγος, καὶ πυρετὸς, καὶ ὀδύνη ἐν τοῖσι στήθεσι καὶ ἐν τῷ μεταφρένῳ ἔγκειται· ἐνίοτε δὲ καὶ ἐν τῷ Πλευρῷ· καὶ ὀρθοπνοίη σφοδρὴ ἐμπίπται. Οὗτος μέχρι μὲν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμερέων, τοιαῦτα πάσχων, διατελέει· πολλάκις δὲ καὶ πλείονας ἡ δεκατέσσαρας ἡμέρας· ἔπειτα ῥήγνυνται πῦα καὶ ἀποπτύει πολλόν· πολλάκις δὲ ἀποπτύει καὶ οἷον ἀραχνίων χιτῶνας· πολλάκις δὲ καὶ ὕφαιμον· καὶ, ἢν μὲν ἀποκαθαρδῇ καὶ ἀπισχνωθῇ ἐν τάχει ὁ πλεύμων, ἐκφυγέει τὸν ὄλεθρον· ἢν δὲ μὴ, προσέχει, καὶ ἐνιαυτὸν ἴσχει ἡ νοῦσος, καὶ μετεβάλλει, ἄλλοτε ἀλλοῖα πάσχων. (Περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν).

§. 15.

Quae tuberculosam excipit, phthisis ulcerosa, consvetim lentius decurrit, quia tubercula nonnisi successive unum post aliud inflammantur. Sputum plerumque male olet, griseum est, atque ichore et puris particulis remixtum. Interim non semper tubercula in inflammationem et suppurationem abeundi nisum manifestant, et diu saepe haerent immutata, quin phthisim ulcerosam post se trahant. In multis sane hominibus de pulmone vix conquestis nec ex pulmonum morbo defunctis, tubercula saepe inveniuntur. Ubi vero incrementa sensim majora sumunt, atque copia augentur, sangvificationis et nutritionis opus laedendo, maciem ipsamque febrim tabificam, asthma siccum et hydrothoracem inducere, atque exitum ita infaustum, quin ulcus generetur, parare valent.

Diagnosis phthiseos.

B. pituitosae.

§. 16.

Cum pus a muco ubique distinguendi adhucdum nos lateat peritia, difficilis phthiseos pituitosae ac ulcerosae diagnosis. Nimirum frustra circa illas materias experimenta instituerunt *Darwin*, *Home*, *Brugmanns*, *Grasmayer*, *Gruithuisen*. Neque vero etiam scimus, ut *Reil* ingeniose monet, an revera a muco pus differat.

§. 17.

„Si quis interim" ut *Petri Frankii* verbis hoc loco utamur, „ad phthiseos pulmonalis ulcerosae signa attentius respexerit; si longum morbi catarrhalis, sine febre mox conjuncta, in homine vix ad phthisin praedisposito, sed laxae constitutionis, literato, vitae sedentariae submisso, ac aliis forsitan mucosis fluxibus, primarumque viarum incommodis, non ita raro subjecto, aut asthma pituitosum, hydrothoracem jam perpesso, decursum consideraverit; si febrem non prius, quam major jam debilitas secuta fuerit, diuturno catarrho accessisse conspexerit; si nulla inflammatio acuta, chronica, nullaque pneumonorrhagia praecesserint; si materiae per tussim rejectae color, pelluciditas, tenacitas, rotunditas, levitas, quantitas a primo jam morbi initio conspicua, diversam a pure indolem ostenderint; si major sub inspiratione profunda libertas et immunitas a tussi subfuerint; si dolores, qui adsunt, non adeo fixi, quam vagi, non tam acuti, quam pressivi cum adfectione rheumatica, catarrhali alternaverint; si sputa interdum, comparente inprimis alibi dolore rheumatico, quin febris, dyspnoea se-

querentur, per menses disparuisse, ac tempore pluvioso, frigido et catarrhis favente rediisse sint visa; si methodus corroborans aegrotanti conduxerit; tunc morbum non ex ulcere pulmonis, sed ex perversa in bronchiorum membrana mucosa secretione venire, spes magna adfulget."

Diagnosis phthiseos.

C. ulcerosae.

§. 18.

Dividunt phthiseos ulcerosae decursum in tria stadia: in *stadium phthiseos incipientis*, sive st. inflammatorium vel opportunitatis; *stadium suppurationis*, sive st. phthis. confirmatae, et in *stadium colliquationis*, sive st. phth. consummatae, conclamatae.

§. 19.

Stadium primum phthiseos propter eminentia symptomata phlogoseos inflammatorium dicitur. Adest in aegrotantibus febris lenta charactere inflammatorio adhuc donata, cum horrore inchoans e loco suppurante exeunte; respiratio difficilis, praecipue sub incessu, sermocinatione; dolores fugaces, scindentes, in pectore profundo, vel in alio ejusdem loco; sensus caloris et ustionis sub sterno, vel pressionis et ponderis in pectore, aut intra scapulas; tussicula modo brevis, sicca, compescenda adhuc, modo vehementior, cum nisu intenso, spasmodica, saepe vomitu stipata, plurima initio noctis atque fine, nec non post pastum, cum sputis variis, mucosis, albuminosis, albis, caerulescentibus, flavescentibus, salsis, parcis, et nunquam cum levamine constante ejiciendis; interdum dolores fugaces, rheu-

maticis aemuli, leviores, in extremitatibus; vox raucescens; somnus inquietus et anxius; animus irritabilis, in iram pronissimus, praecipue dum de statu suo aeger interrogatur. Symptomata vero universim multum variant, et exasperantur stimulantibus, tempore vernali et autumnali.

§. 20.

Ubi inflammatoria phoenomena multum praevalent, et aegri fere continuo febricitant cum rubore genarum, labiorum, caruncularum intenso, venisque jugularibus colli insigniter tumentibus; tunc stadium alterum vix decurritur totum, et phthisin ex celeri decursu et praevalentibus symptomatibus inflammatoriis vocant *floridam*; ut igitur flos sit ille caducus!

§. 21.

Stadium secundum, st. suppurationis, st. phthisis confirmatae, quod post septimanas, menses accedere, atque in aetatis provectioris subjectis per annos nonnunquam durare solet, sequentia insigniunt symptomata: febris lenta cum sudoribus nocturnis, unde vires minime levantur, tussis continuans, tempore praesertim matutino molestans, sputa purulenta, alba, flavescentia, tum faeculenta, livida, interdum sangvinolenta, peculiariter foetentia, dulcia vel salsa. Febris interea et pectoris adfectio etsi momentanee mitescunt, tamen paulatim in pejorem vertuntur partem. Urinae minguntur turbidae; corporis attenuatio, virium consumtio ingravescunt; oculi langvent; inedia tamen vexat, et digestio satis viget, unacum spe salutis recuperandae.

§. 22.

In *stadio tertio*, st. colliquationis, st. phthiseos consummatae sequuntur: diarrhoeae, quibus cibi nondum digesti, sangvis, ichor, sub torminibus in abdomine, dejiciuntur, quandoque cum

sudoribus colliquativis alternantes; anxietas et respirationis brevitas augentur; sputum cum difficultate ejectum, luridissimum, saepe sangvinem et membranulas integras parenchymatis pulmonalis, signo manifesto solutionis, continet; interdum sub insigni ac repentina pneumonorrhagia suffocati pereunt aegrotantes; — vox debilis et rauca fit; lingva fissa et siccissima est; extremitates oedematose intumescunt, quandoque symptomata omnia hydrothoracis superveniunt; hecticus color magis magisque increscit; virium maxima adest prostratio, ita, ut laborantes nec corpus movere, nec in situ erecto permanere possint; corpus contabescit totum, adeo, ut ossa ubique promineant; facies Hippocratica evadit, denique expectoratio prorsus supprimitur et summa spirationis cum metu suffocationis difficultas sequitur, atque mens vel concidit, vel delirat vehementer, aut aegri sub insultibus epilepticis pereunt. Si mors in propingvo est, communiter oedemata increscunt, atque spes recuperandae salutis elatior ac unquam aegros tenet, qui nunc varia sibi proponunt, interdum jucundissima somniant, diversa praedivinant, donec sensim paulatimque mentis satis compotes spiritum emittant.

Prognosis.

§. 23.

Ex omnibus hucusque allatis intelligitur sanationis spem, solum in primo morbi limine affulgere, illamque, eadem ratione, qua morbus senescit, decrescere.

Prognosis phthiseos scrofulosae, illi scrofularum in genere alligata est. Palam fiet, quam

arduum sit vitium scrofulosum universim eradicare. Nusquam autem scrofulae fuga difficilior, quam ex tenerrimo pulmonum textu. Hic enim illa ipsa pharmaca, quae alibi glandulis induratis saepe impune prospicere valent, non sine magno periculo locum inveniunt, cum experientia docuerit, tubercula pulmonum cruda facile inde irritari, inflammari et suppurari. Atque sic aegroti per artis praepostera conamina mature praecipitantur.

Phthisici, quibus materia pectus onerans labem fébris putridae aut malignae contraxerit, omnes fere periere.

Rubores circa nasum alvi humescentis signa sunt.

Phthisici, cibum avide appetentes et exinde robur neutiquam acquirentes, desperati.

In phthisi diuturniore tumor pedum oedematosus, funestus.

Accidit vero interdum ut res accidentales e. c. graviditas, curriculum phthiseos conclamatae suspendant.

Anni tempora phthisicis perniciosissima sunt aequinoctia et solstitia.

T h e r a p i a.

I. Cura prophylactica phthiseos latentis.

§. 24.

In nullo fere morbo prophylactica tantae est dignitatis, quam in ipsa phthisi pulmonali; negligitur vero nimium, non a medicis solum, sed, quod multo adhuc pejus, ab ipsis etiam candidatis phthiseos, qui minime solliciti de statu suo admodum proclives esse solent ad omnia fere mo-

menta illius occasionalia. Requiruntur nimirum sacrificia haud exigua, ab anno aetatis potissimum 18 — 30, quibus erumpere malum exitiale consvevit, ergo per multos annos, ut infelix ille habitus emendetur.

§. 25.

Indicationes autem prophylacticae morbo adhuc latenti jamjamque erumpenti opponendae huc redeunt:

1. Ut pulmones roborentur, et simul erethismus totius systematis vasorum morbosus corrigatur.

2. Ut causae occasionales omnes maxima cum sollicitudine vitentur.

3. Ut prima symptomata statim in principio supprimantur.

§. 26.

His indicationibus strictissimum respondet regimen diaeteticum, sine quo nihil sola medicina proficeret. Jam vero quae huc spectant, in eo sunt posita, ut:

a.) Candidati phthiseos varia corporis exercitio, laxi pituitosique validiore, floridi moderatiore fruantur. Infantes exercendi per motus diversos, lusus, exercitia gymnastica, adulti plures per horas ambulent, equitent, peregrinentur, castra sequantur. Expertissimus Angliae medicus *Sydenhamus* equitatione se multos a phthisi praeservasse et liberasse testatur. Svadendi etiam motus tales, qui in specie concernunt pulmones, per cantum, declamationem, altum colloquium. Ad musculos thoracicos praecipue intendendos campanarum pulsatio, remigum tractatio, labores hortulani, tornatorii, conveniunt. Quamprimum tamen delassatio, raucedo, tussis, dolor punctorius, subintrant, motus hi illico restringendi, aut intermittendi sunt.

b.) Aër liber, nec frigidus nimis, nec montanus, nec variabilis admodum, sed per amplam planitiem spirans optime conducit. Multum prodesse phthisicis navigatio observatur, cum navigatores potissimum immunes a phthisi maneant. Maxime interest ut aegroti, regionum septemtrionalium incolae, si opulenti fuerint, clima mite, humidum et stabile eligant. Quemcunque vero locum habitandi sibi elegerint, procurent sibi domicilium bene custoditum, ac caveant ab aëre nocturno, a frequentatione theatrorum, chorearum, societatumque majorum. Aegroti vero, qui ad alienas regiones proficisci nequeunt, sibi artificiale procurent clima, domum scilicet amplam, temperaturae diu noctuque aequalis (quatuordecim circiter graduum thermometri Reaumuriani), quam domum per totam hyemem neque per horulae momentum derelinquere fas erit. Talis carcer medicinalis, ope vegetabilium sveveolentium formaque gratorum, sat amoenus reddi potest. Potest beneficium temperaturae in vaccarum equorumque stabulis quaeri.

c.) Vestes laneae, non tamen nimis densae commendationem merentur. Multum nocet vestium levitas, mosque sexus sequioris pectore, scapulis et brachiis denudatis incedendi, thoracem fibulatoriis aliisque fasciis circumdandi. „Si virgines quae ex superbia et amore pulchritudinis omni cura pectus in angustias cogunt, ut demissis sint humeris et graciles appareant, scirent, perquam docte inquit *Sperling*, quanto cum sanitatis ac vitae id fiat dispendio, tale quid haud attentarent. (*Institut. Physiolog. Lib. XI. Cap. III. p.* 1322.)

d.) Praecipuus diaetae convenientis respectus habeatur. In genere phthisici eo magis nutriendi, quo macilentiores sunt, semper tamen alimentis

blandioribus, et vegetabilibus, et animalibus. Lac ab optimis medicis, ceu summum phthiseos remedium, vetustissimis jam temporibus est commendatum. Quo vero major erethismus, eo magis convenit diaeta vegetabilis. Potus cerevisia esse potest, leviori aromate et principio amaro scatens; abstinendum a vinosis alcoholicisque potulentis, praeprimis a fatali potu ex taphia parato, vulgo *Punsch.*

e.) Pathemata animi quantum libet moderanda, prae omni alio amoris infelicis cruciatus, zelotypia et moeror, onania, venus, potissimum praematura. Nuptiae cum phthisi pari incedunt passu. Hinc phthiseos candidati hoc sibi eligant Symbolum: *abstine venere et baccho!*

f.) Vitam ducant quodammodo systematicam, neque tamen nimis anxiam; abstineant a laboribus omnibus nimiis tum corporis, tum mentis, a curis potius liberi diutius dormiant et recreationibus indulgeant; infantum puerorumque ingeniosorum zelum nimium parentes perstringant.

g.) Medicamenta raro adhibeantur, et mitiora tantum, ubi necesse est, in usum vocentur.

§. 27.

In curando phthiseos stadio latente aegrotis sine ambagine declarandum est, quod si mortem maturam et terribilem evitare optent, sese per plurimorum annorum curriculum regimini a medico praescripto stricte submittere debeant. Revocetur illis in memoriam quod *Seneca* de praeoccupandis ingruentibus periculis (L. I. de ira C. 8.) monuit: „in primis finibus hostis arcendus est, nam cum intravit et portis se intulit modum a captivis non accipit.“ Hinc *Ovidius* (5. Tristium 7.) eloquitur: „turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.“ Et secundum *Ciceronem*: omne malum nascens facile opprimitur.“ Praeci-

pue aegrotantes literati eruditionis scholasticae gloriolam adfectantes plus uni Classicorum romanorum sententiae credere solent, quam validissimis sanae rationis argumentis.

II. Cura phthiseos manifestae.

§. 28.

Quamvis phthiseos manifestae cura rarissime prospero coronetur eventu, tamen a medico tentanda est. Haec autem cura pro diversa phthisis specie, et in qualibet specie pro diversitate causae, pro diverso morbi stadio, gradu, diverso virium et organismi statu, pro febris hecticae, marcoris et adfectionis topicae conditione varia, denique pro varia complicationum ratione, multum omnino diversa esse debet. In genere omnes scopi morbum curandi sequentibus absolvuntur indicationibus:

1. Causae proximae removendae sunt. Tubercula solvenda, eorum inflammatio, suppuratio antevertenda; laxitas pulmonum corrigenda, stimulus morbosus tollendus; vomica aperienda, puri exitus parandus, ulcus consolidandum.

2. Febris curanda secundum characterem suum, praecipue vero diathesis illa universalis quae subest omni phthisi, corrigenda.

3. Marco inductus pro diverso gradu variis remediis est tractandus.

A. Cura phthiseos tuberculosae.

§. 29.

In phthisi tuberculosa sequentia indicationi respondent: nimirum nodos et tubercula substantiam pulmonalem obsidentia solvere, saltem uite-

rius illorum augmentum, et singulorum inflammationem, suppurationemque praecavere; scrofulam, luem, arthritidem, suis quam libet remediis oppugnare; excretiones verias revocare; humorum ad pulmones congestionem restringere, stases solvere, resorptionem intendere, pro re nata, medicum oportet. Diversissima autem remedia ad diversos hos fines obtinendos habentur, quorum usitatissima sunt:

Ulcera artificialia tempore longiori in suppuratione larga sustinenda. *Equitatio*, motusque omnis in aëre libero. *Vapores* humidi, emollientes. *Cicuta* ubi simul sopiendum conducit. Multum profuit *Cicutae* cum *China* connubium. *Belladonna*, *Aconitum*, *Hyoscyamus* analogos exerunt effectus. *Mercurialia*, *Antimonialia*, ubi nulla febris hecticae adsunt vestigia cautaque manu adhibita. *Gummiferulacea* si status desit irritativus. *Digitalis purpurea*, perennis medicis, qui eam in praxin introduxerunt gloria! *Aqua calcis* praesente atonia a neotericis multum laudata. *Laurocerasi aqua*. *Spongia usta*. *Remedia leniter solventia*. *Sal ammoniacus*, remedium praestantissimum.

B. Cura phthiseos pituitosae.

§. 30.

In curanda quoque phthisi pituitosa princeps indicatio eo tendit, ut causae illius expugnentur. Aegris hoc morbo detentis autumni, praeprimis serioris, hiemis, verniqne temporis rigores et inconstantia ante omnia fugienda sunt. Prodest ejusmodi aegris vere et aestate inter abietes et

pineta versari, aëremque terebinthinaceis effluviis foetum, inter ambulandum inspirare. Exercitatio corporis moderata. Navigatio, equitatio, itineratio.

Quodsi laxitas pulmonum phthisis pituitosae causam constituat, et morbus magis localis sit, quae illorum erigendo inertiam, secretionem in bronchiis morbosam vel sanitatis ad normam reducere, vel saltem restringere valent, remedia indicaniur. Spectant autem huc: *lichen islandicus*, *polygala amara;* remedia balsamica: *myrrha*, *balsamum copaivae*, *balsamum peruvianum*, *balsamum de Mecca*, *de Canada*, *pix nigra liquida*, *oleum asphalti.*

Quodsi pulmones debilitate cum erethismo laborent, quo in casu saepius tussis spasmodica, multum molesta aegrotos prehendit; dolores pungentes, incommoda alia in thorace percipiuntur, conveniunt remedia, prout vel sensibilitas nervorum, vel vasorum irritabilitas limites excedit, nunc antispasmodica, nunc antiphlogistica.

Ubi eminentius quidem affectis pulmonibus, reliquus simul organismus debilitate et atonia universali tenetur, remedia roborantia in usum rahenda erunt.

Est, ubi humores acrimoniam solidorum e vitio pendentem contrahunt, ac in pulmones debiliores conversi, hanc sibi viam ex organismo legunt, neque a tonicis roborantibus corriguntur semper, sed solventia, humores attenuantia, evacuantia sibi exposcunt remedia.

C. Cura phthiseos ulcerosae.

§. 31.

Enato in pulmonum parenchymate abscessu sive clauso sive aperto, indicationes sunt: ut ille aperiatur, pus ejiciatur, inter pulmones vero et pleuram collectum sectione facta educatur, atque his praestitis ad consolidationem ulcus disponatur.

§. 32.

Tentanda cita vomicae ruptura ideo, ut major pulmonis consumtio praecaveatur. Ad quam impetrandam potus emollientes tepidi, vapores non nimis calidi, saepius de die per quadrantem horae attrahendi, ex aqua, lacte vel decocto quodam emolliente eliciti, cataplasmata thoraci imposita, balnea universalia et pediluvia. Atque si sat maturus fuerit abscessus, sponte sua ac absque omni conamine majore aperietur. Abscessu aperto, ad promovendam expectorationem situs horizontalis, vel capite deorsum versus spectante, vel motus levis in cubili institutus, ipsum adeo vomitorium sub inflammationis absentia ex Ipecacuanha paratum, conducunt.

In ulcere aperto, maximi momenti indicatio, illud consolidandi, exsurgit. Sunt autem multae, quae ulceris consolidationi obstant, difficultates superandae, quarum princeps in continuo aëris atmosphaerici accessu sita est. Nimirum oxygenium atmosphaerae inflammationem sustinet, suppurationem et exulcerationem exasperat. Unde ratio patet, quare aër minorem oxygenii quantitatem vehens aegris taliter habentibus conducat. Hinc stabulatio a Gallis quondam, et hodie a *Hufelando* praecipue laudata phthisicis saluberrima deprehenditur. Teste *Richtero* in vaporibus

etiam, quos terra sub aratione exhalat, magnae virtutis praesidium est positum.

Cum per frigus non minus, quam per aestum nimium inflammatio augeatur: aegrotantibus temperatura aequabilis 14^0 aut 16^0 R. concilianda est.

Nec non vapores, in phthisi inflammatoria emollientes, in atonica aromaticos, balsamicos, aethereos, resinosos, spirituososque inhalare jubemus.

Aliud consolidationis obstaculum motus pulmonum continuus ponit. Igitur tussim inanem et siccám, quantum possunt ut compescant, a risu, cantu, vociferationibus, collocutionibus multis ut abstineant, aegroti monendi sunt.

Sub ulcere laxo indicantur vapores resinosi, balsamica, adstringentia.

Dum indoles adest inflammatoria emulsiones, decocta emollientia propinanda, imo sangvis interdum, exigua tamen quantitate, scopo vita solummodo procrastinandi, mittendus est.

Si in subjecto nervoso magni et vehementes adsunt dolores ad narcotica, nec non ad antagonistica et derivantia recurrimus remedia.

§. 33.

Febris pro diverso charactere suo, inflammatorio, nervoso, putrido, est tractanda.

In stadio phthiseos ultimo plumbum ab antiquioribus jam medicis in phthisi crebro usurpatum ab *Hildenbrandio* denuo laudatum aliquibus valde placet, cavendum tamen ne nimis cito excretiones — alvina et pectoralis — inde supprimantur, id quod opii connubium praecavet.

Macies quomodo curanda ex praegressis patet.

§. 34.

Caeterum in phthisi conclamata curanda indicationes solummodo sunto: vitam procrastinan-

di, symptomata leniendi et ab omni sanandi conamine, illis indicationibus adversante, abstinendi. Exesum destructumque pulmonem nunquam restaurabis, et genus humanum jam multum lucratur, si medicus in cura phthiseos a pharmacis nocivis abstineat. Visne aegrorum phthisi conclamata laborantium, ac affinium plorabilium, medico plus, numen videlicet tutelare esse? Est aliquid, re ad extremum perducta, si sanare non possis, lenire aegritudinem, et optandam miseris conciliare euthanasiam!

Literatura.

D. W. Sachtleben's Versuch einer Medicina clinica oder prakt. Pathologie und Therapie der auszehrenden Krankheiten. Danzig, 1792. 2 Theile.

Raulin's Abhandlung von der Lungensucht u. s. w. Aus dem Französischen von Grundmann, mit einer Vorrede und Anmerkungen von B. Ch. Vogel, Jena 1784, 2 Theile.

A. Portal's Beobachtungen über die Natur und Behandlung der Lungenschwindsucht. Aus dem Französischen mit Anmerkungen von G. F. Mühry, Hannov. 1799. 2 Theile.

Baumes von der Lungensucht. Eine gekrönte Preisschrift. Aus dem Französischen von Ph. Fischer, Hildburghausen 1809, 2 Theile.

L. Storr über die Natur und Heilung der Lungenschwindsucht. Stuttgardt, 1809.

D. Wichelhausen über die Erkenntniß, Verhüthung und Heilung der schleimigten Lungensucht, Mannheim und Heidelberg 1806.

Hufeland in dessen Journal der praktischen Heilkunde, 1810, Jan. S. 1. Februar S. 1.

Omnes denique melioris famae Auctores, qui universae medicinae praecepta tradiderunt.

THESES.

1.

Major funerum numerus catarrho neglecto, quam pesti, adscribendus.

2.

Medicus castrensis et medici et militis spiritum gerat.

3.

Datur divinatio medica (Hellsehn des Arztes).

4.

Fungus haematodes alius a fungo medullari, atque etiam diversus a scirrho et cancro.

5.

Uterus tercentorum malorum fons.

6.

Medicus irreligiosus flagellum Dei.

7.

Ille in medicina se profecisse sciat, cui *J. Petrus Frank* valde placet.

8.

Cognitio Ileitidis ulcerosae *Bischoffii* magnum medicinae lucrum.

9.

Novum systema medicinae a *Cel. Meissnero* nuperrime conditum auctorem suum naturae scrutatorem ingeniosissimum sed non medicum esse profitetur.

10.

Capite foetus, licet praevio et bene locato, sunt tamen casus, in quibus ad versionem confugiendum.

11.

Opinionum commenta delet dies, medicinae ab ipsa natura depromtae judicia confirmat.

12.

Qui cholerae epidemicae naturam et tractandi modum perfecte intelligere sibi videntur, infelicissimi ejusdem sunt debellatores, plus autem praestant, qui dubitando et cunctando huncce proteum adgrediuntur.

13.

Rerum medicarum scriptor, id, quod alter jam descripsit, describens, non ideo plagiarius, sed facile ambo naturae sunt plagiarii.

14.

Certo respectu omne remedium est specificum, respectu alio vero nullum.

15.

Idea virium naturae medicatricium arctioribus, quam fieri solet, circumscribenda est limitibus.

16.

Naturae philosophia id medicinae praestabit, quod chemiae praestitit alchimia.

17.

Paupertatis aerumnae et corporis et mentis evolutionem retardant, impediuntque.

18.

Omnis morbus universalis in aliqua organismi parte centrum suum recondit.

19.

Nihil in rerum natura per se medicamentum est.

20.

Omnia in rerum natura medicamenti vices agere possunt.

21.

Rerum externarum in medicamentum conversio fit per sacerdotem Aesculapii.

22.

Procul a medicinae sacris estote profani!